

**RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
GEBH· CHRISTIANVS
BASTINELLERV
IV·D· ET DIGEST· VETER· PROF· PVBL
CVRIAЕ ELECTORALIS PROVINCIALIS
SCABINATVS ATQUE ORDINIS IVRIDICI
ASSESSOR
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.**




sulem Pietauorum olim Antantes,
Hilarius, informauit, pariter, ac
praefstit ipfemet, talem se nobis
doctrina, munere, uita uniuersa,
comprobauit CASPAR. LOE-
SCHERVS, qui doctrinæ oppor-
tunitate et ueritate infirma confirmauit, disrupta
consolidauit, deprauata conuertit, et uerbum uitæ
in aeternitatis cibum alendæ familiae dispendit, at-
que haec agens, h[ab]e[re] immorans, deprehensus, gloriam
a Domino dispensator fidelis, ac uillicus utilis, conse-
cutus est. Etenim, comparatis ille a prima iuuen-
tute cunctis, admirabili diligentiae exemplo, sub-
fidiis, quae ad arduum Theologi munus admini-
strandum requiruntur, ad uarias mox, atque am-
pliores identidem, docendi prouincias euctus,
pari quidem ubiuis industria, candore pari, pari-
que animi confidentia, illas sustinuit, nihilo tamen
minus, editis rarae prudentiae documentis, exor-
nauit. Erat illi diuina ueritate nihil antiquius,
nihil charius, hanc quanto inculcabat studio, tan-
ta mentis corporisque contentione tuebatur.
Nec tamen accurate perspiciebat minus, quid pro
qualibet locorum conditione, pro uaria temporo-
rum ratione, proque diuersa cuiusvis hominis in-
dole, facto opus esset, ut suis pariter desideriis
faceret satis, ac diuinae uoluntati, bonorumque
omnium expectationi, responderet. Idcirco pla-
nam semper perspicuamque differendi rationem
mirifica sequebatur arte, siue plebi indoctae ne-
cessaria creditu doctrinæ capita explicaret, seu
cultis etiam ingeniis ad difficiles intellectu, mul-
tisque tenebris inuolutas, quaestiones dirimendas,
uiam muniret. Contra ea accurate admodum,
subtiliterque, disputabat, ubi subactos multa exer-
citatione aduersarios nacto, sublimiori mentis a-
cumine erat contendendum. Quae quidem cum
mira facundia, orisque ac uocis commendatione,
perageret, facili certe negotio effecit, ut magna
hominum multitudo ad eum audiendum conflu-
ret, ac eruditu cum indocris, altioris dignitatis
homines cum plebe, diuites etiam cum pauperi-
bus, in concelebranda tanti nominis uirtute con-
certarent. Iūdide omnibus constabat facile,
quantum dexteritas ueritatem diuinam opportune
docendi ualeret, quantumque imbecillos homi-
num animos confirmaret. Disiunctum uero dis-
sensionibus, distractumque Christianorum coe-
tum, exquisito quidem doloris sensu intuebatur
Casparus, atque interiores maxime illius fissuras
aegerrime ferebat, nec tamen subdolam cu-
pie-

Hanc, quae blanditias spargeret ubiuis, sed pernicem
intus moliretur, quae homines hominibus uideretur
conciliare, conciliatos tamen misere suffocaret. Ma-
nifestum igitur bellum tali, tamque turpi, otio mul-
tum praestare, grauiter existimabat ille, sed caussae
euentum Deo piis commendabat precibus, nihilque
intermittebat, quicquid uel ueram ad quietem repara-
randam, uel ad pugnas secunda fortuna pugnandas,
consilii, opisue, afferre posset. Domestica certe
vulnera non negligenda quidem esse, prudenter cen-
sebat, at leuiter tamen apprehendenda, ne temere
tacta, atque inclementius habita, faeuia intumesce-
rent, ac puris foetidi nimium & sanie funderent, tan-
demque carnem supercrescentem gignerent, sed pur-
gata mitius ac sota, iterum coalescerent, ita, ut ne
cicatrix in cute exteriore minima relinqueretur. Qua
quidem prudentia, temperatoque admodum animo,
dici non potest, aduersariisue, an suis, se magis com-
mendauerit, quorum illi, comprobato laudabili tam
consilio, uel proflus ab armis inferendis se abstine-
nebant, uel saltem de sua multum ferocitate remit-
tebant, hi admirabantur uehementer tanti viri per-
spicientiam, illumque coetui suo congratulabantur,
utriusque denique illius exemplo intelligebant, qua
tandem ratione, eaque felici ac salutari, coniung-
enda sint aequae, ac consolidanda disrupta. Si
quos autem deprehenderet Diuus homines, fidei
suae creditos, qui criminibus admisis, diuina exci-
disserent gratia, tum uero, obseruatis admonitionum
gradibus, blande ab initio reuocare istos, mox
serius increpare, pertinacum uero animos legis
diuinae expugnare fulminibus, idque tamen ita, ut,
inspersis identidem amoris feminibus, proderet, ui-
tia magis, quam homines, se infectari, magisque
horum aeternae prosperitati consulere, quam
acerba istorum exprobratione delectari. Quan-
ta uero animi patientia improborum pertulit re-
pugnantiam, tanto contra gaudio triumphauit
minister Dei terrestris cum coelestibus, quoties
proiectae, effrenataeque malitia homines, ma-
gnis laboribus, magnis curis, diu, multumque, excit-
atos commoueri tandem sentiret, ita, ut admissorum
illos facinorum poeniteret, ut effuso a Serua-
tore pro humani generis salute sanguine delicto-
rum culpam abluerent, Deoque reconciliati, recenti-
bus uirtutum decoribus, pristinorum dedecorum
memoriam obruere anniterentur. Illa uirium con-
tentione, illa animi uoluptate, Dei tamen immor-
alis beneficio, deprauata conuertit. Ecquid uero
dicemus de opera, quam piis in Dei coetu homini-
bus nauauit. Qualibus enim, quamque minutis
lingua illius non pupugit aculeis, quum suorum



non argumentorum ponderibus contendebat os fa-
 pientissimum, quum in graibus, arduisque admis-
 dum, negotiis illos consilio iuaret? Quantis tan-
 dem, quamque suauibus labia fluebant riuis, quum in
 curis, uariisque grauium calamitatum generibus, di-
 uinis eos solatiis erigeret? Loquebatur ille, et la-
 pide durior extitisset animus, qui non, torpore ex-
 custo, commotus, suarumque memor partium red-
 ditis esset. Dicebat huiusmodi, et mortuum oport-
 tuisset esse, qui non meliorem de imminentium re-
 rum euentis spem concepisset. Sic denique differe-
 bat, nec caesus modo, sed occisus iam atque obru-
 tus pestibus esse crederetur, qui rerum momentis,
 ac pulchritudine uerborum non delinitus esset, ne-
 que ex luctu ac squalore caput extulisset. Ita fami-
 liam Dei sanctissimam aeterno uitiae uerbo aluit, at-
 que ad perpetua caeli gaudia praeparauit. Cura-
 uit haec, haec agitauit, a uirili statim aetate, ad
 extremam usque senectutem, neque agitando, cu-
 randoue defatigari potuit, quin, dummodo cor-
 poris uires mentis uigori pares fuissent, diutius
 administrasset. Neque aliis se unquam immisicuit
 negotiis, quam amplissima, quibus defungebatur,
 munera suggerebant. Patris tamen personam non
 minore laude sustinuit, qui liberos suos tanta cu-
 ra dexteritateque ac felicitate educauit, ut Filios
 uiuus orbis literati, Rerum publicarum, ac coetus
 diuinioris, Filias, amplissimarum familiarum decora-
 uideret spectatissima, nostraque multum laude maio-
 ra. Quod cum tandem, tali cum nominis fama, uitae
 emensus esset spatium, a morte in illo absoluendo
 deprehensus, ad eam deductus est gloriam, quam Deus
 ministris, optime de se suisque meritis, praemii loco,
 pro infinita Numinis sui gratia, pollicitus est. Hac frui-
 tur nunc, hac in perpetuum perfruetur postea, nobis
 autem nihil nunc agendum restat, quam ut tanti Docto-
 ris memoriam sacram perpetuo sanctamque habeamus.
 Quam quidem prouinciam, pro suo in Diuum, atque
 uniuersam amplissimam *Loescheriam* gentem obser-
 uantia pariter ac necessitudine, in se recepit Clariss. Vir,
 et doctrina non minus, quam industria ac pietate nobis
 commendatus, *M. Ioannes Andreas Cleffelius*, *Tangrae-
 munda Palaeo - Marchicus*, Ordini Philosophorum
 Ascriptus longe meritissimus, qui crastino die, memo-
 riam beati Illius obitus annuo recursu renouante, supre-
 mum illi praestabat officium. Quam quidem lugubrem
 celebratatem ut Illustrissimi Comites, Patres omnium
 Ordinum conscripti, ac reliqui Ciues, *Loescheriae* pa-
 riter, ac *Schroeriae* genti obseruantia, cultu et fauore
 obstricti, frequentent, adhortamur sedulo, auctores
 sumus, ac precamur.



RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
**GEBH· CHRISTIANVS
BASTINELLERVS**
IVD· ET DIGEST· VETER· PROF· PVBL·
CVRIAЕ ELECTORALIS PROVINCIALIS
SCABINATVS ATQVE ORDINIS IVRIDICI
ASSESSOR
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.